



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus


De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus V. De Commodato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177



CASUS V.

De Commodato.

Jacobus volens invifere fuum amicum Norbertum aliquot horis diftantiem, accipit in hunc finem cujufdam alterius equum commodato; contigit autem, ut equus eodem die domum redux inceperit ægrotare, ac non obftantibus medicamentis, quæ fuerunt adhibita, omnino altero ftatim die perierit.

Q. 1. In quibus circumftantijs fumptus in curationem equi facti à noftro Jacobo fint perfolvendi?

Q. 2. Ex qua culpa ad iftos teneatur, fi eidem equus in gratiam folius commodantis, aut in hujus & ipfius commodatarij gratiam fuerit conceffus?

Q. 3. Ex qua culpa teneatur, fi in folius Jacobi gratiam equi ufus huic conceffus fuerit?

Q. 4. Quid præftare debeat Jacobus in dubio, utrum fuâ culpâ equus perierit, vel deterioratus fuerit?

SYNOPSIS.

1. Natura commodati explicatur.

3. Commodati à ceteris contractibus differentia.

2. Uti & materia illius.

§. I.

Resolvitur primum Quæfitum.

An medicamenta in curationem equi adhibita teneatur commodatarius Jacobus folvere?

4. Expense tantum minores in rem commodatam à commodatario faciende.

5. Commodatarius per fe non tenetur ad curationem equi.

6. Nifi culpa in ufu equi reus fit,

G 2

7. Ex

7. Excusatur etiam in casu fortuito.
 8. Nisi iste culpam Jacobi subsequutus.
 9. Aut à Jacobo in se susceptus fuerit.
10. Vel culpabilis mora in restitutione intervenerit.
 11. Secus si mora fuerit inculpabilis, aut res eodem modo apud dominum perisset.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Ex qua culpa ad solvendos sumptus in curationem equi factos teneatur Jacobus, si in solius commodantis, vel in utriusque commodum equi usus concessus fuerit?

12. Commodari equus potuit in solius commodantis gratiam: vel in solius Jacobi, aut utriusque.
 13. In primo supposito tenetur de solo dolo, & culpa theologica gravi.
 14. Non autem ex levi aut levissima.
 15. Ad majorem tamen diligentiam tenebitur commodatarius, si in usus, & commodantis gratiam equus concessus fuerit.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Ex qua culpa teneatur Jacobus, si in ipsius solius gratiam equi usus concessus fuerit?

16. Tenetur ad illam, ad quam communiter commodatarij in tali casu se obligant.
 17. Ad quam præstandam commodatarium leges obligent.
 18. Non tamen ante sententiam Judicis extra culpam Theologicam.
 19. Quædam leges minorem, quam exactissimam curam exigunt.
 20. Non obstantibus adversariorum responsis.
 21. Satisfit contrario nobis cap. unico de commodato.

22. *Uti & legi*, in rebus ff. commodati : ac legi : obligationes
 1. §. ille quidem ff. de oblig. & action.
 23. *Leges iste obligant prout in usu vigent,*

24. *Culpa levis in certo sensu est etiam culpa lata.*
 25. *Qualiter jura in hoc attendant bonum commune.*
 26. *Commodatarius se obligat juxta leges, prout iste in usu sunt.*

§. I V.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An Commodatarius Jacobus teneatur aliquid solvere, si ducet, an sua culpa equus perierit, vel deterioratus fuerit?

27. *Varium potuit esse Jacobi nostri dubium.*
 28. *Certus, quod actio vel omisso de se, dubius autem, num actu fuerint noxie, tenebitur.*
 29. *De ipsa actione, vel omissione damnosa dubium positivum, vel negativum haberi potest.*
 30. *Negativè dubius de negligentia, vel actione damnosa non tenetur.*
 31. *Idem tenendum de positivè dubio.*
 32. *Pro diversis circumstantijs est absolvendus, aut obligandus.*

Commodatum accipi solet tum pro ipso actuali contractu, quo alicui res quædam ad usum traditur, vel pro re ad usum alteri concessa. Prout est ipsa actualis conventio definitur illa à Laym. lib. 3. de Just. tract. 4. cap. 14. quòd sit rei alicujus ad solum usum gratuita ad nutum tamen non revocabilis concessio, quòd si nomine commodati effectum illius, hoc est, obligationem, quæ ex tali conventionem resultat, consideremus, ex parte commodantis nas-

citur obligatio concedendi, & permittendi ad tempus, & finem præfixum rem alteri ex tali conventionem concessam, commodatarius ex opposito, cui scilicet rei usus gratuitus conceditur, jus & facultatem obtinet, utendi re ad finem sibi à commodante permissum.

Ex definitione commodati colligimus, materiam hujus contractus esse non solas res immobiles, sed etiam mobiles; cum universalis iste terminus alicujus rei,

G 3

quam-

quamlibet tam mobilem, quam immobilem includat. Cum autem res quædam, ut pecunia, vinum, usu ipso absumantur; vi autem hujus contractus ad solum usum res concedantur, optimè authores concludunt, res usu ipso consumptibiles non fore materiam hujus contractus, nisi ad pompam & ostentationem alteri concedantur, ut habetur *L. 3. §. ult. ff. commodati.*

3 Deinde, cum commodatum ad solum usum concedatur, inferimus, illud differre à pignore, atque deposito; quia horum usus pignoratitio, ac depositario est prohibitus. Præterea cum res mutuo data in dominium mutuatarij transeat, nec necessariò eadem res, sed etiam alia similis secundùm genus, & qualitatem restituenda veniat; concluditur mutuum à commodato distinctum esse; cum in isto solus, uti diximus, usus rei concessus, & hinc eadem numero res commodanti, & quidem per nullam culpam commodatarij deterior esse-

cta, reddenda sit. Licet autem cum locatione commodatum maxime conveniat, hoc tamen ab illa distinguunt, illa in definitione commodati adjecta particula: *gratuita concessio*; in locatione enim non gratis elocatur rei usus conceditur, sed pro mercede in pecunia numerata, juxta legem: *naturalis §. at cum do: junctâ Gloss. verbo: si res ff. de præscript. verbis: ex opposito gratuitam concessionem locatoni essentialem esse, demonstrat §. item q. 5. instit. quibus rebus re contrahatur obligatio, ibi: Commodata res tunc proprie intelligitur, si nulla mercede accepta, vel constituta, utenda data est: alioquin mercede interveniente locatus usus rei videtur: gratuitum enim commodatum esse debet. Denique particula illa ad nutum non revocabilis: distinguunt commodatum à precario, quod precibus petenti utendum conceditur, quamvis is, qui concedit, non revocaverit. leg. 1. ff. de precario: & c. ult. de precarijs.*

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

In quibus circumstantijs sumptus in curationem equi facti, à nostro Jacobo sint persolvendi?

Expensæ in rem ad solius commodatarij commodum & gratiam commodatæ, vel sunt ordi-

nariæ, modicæ ac leves; aut extraordinariæ, graves atque magnæ: primi generis sumptibus ad-

scri-

scribuntur cibaria, victus, hospitium. Secundo expensis istis faciendis, vel ipse commodatarius culpâ suâ causam, & occasionem præbuit, vel absque illius culpa faciendâ fuerunt. Communiter tenent Authores, expensas circa rem ad solius commodatarij commoditatem factas, si fuerint ordinariæ, modicæ, atque leves ab ipso commodatario perferendas esse: ita Lugo *de Just. disp. 33. sect. 2. n. 14.* Lefsius, Taberna, de la Croyx. non enim videtur rationi, ac æquitati conforme, ut commodans ordinarias expensas in usu suæ rei factas perferat, si illius commodum in contractu, & concessio usu non fuerat quæsitum. Ad extraordinarios tamen sumptus, in rem commodatam faciendos, commodatarius à nemine obligatus agnoscitur, nisi iste sua culpâ causam ejusdem præbuerit.

Dico itaque primo, si Jacobus in usu commodari sibi equi, nullam culpabilem causam morbo, in cujus curationem postea expensæ factæ fuerunt, præbuerat, ad refundendas istas condemnari non poterit. Ita communis doctorum. Prob. expensæ in curationem morbi factæ annumerantur expensis extraordinarijs: sed ad extraordinarias absque sua culpa factas juxta dicta non obligatur commodatarius: ergo ad sumptus in cura-

tionem ægrotantis equi factos absque sua culpa commodatarius Jacobus non est obligatus.

Dico secundò: si Jacobus in usu equi illam commiserat culpam, ob quam commodatarius à legibus etiam in conscientia obligatur ad rem deterioratam compensandam ad sumptus in equi curationem factos erit obstrictus. Prob. conclus. quilibet commodatarius obligatur, ne utendo re sibi commodata, hæc damnum aliquod patiat, & beneficium, commodantis favore obtentum, in hujus detrimentum cedat ergo &c. Prob. 2. *Juxta legem. sed mihi 3. §. si reddita 1. lege. in rebus 18. §. sive autem 1. ff. de commodato. res commodata propriè & bona fide non videtur reddi, si deterior, & non integra, prout à commodante fuerat accepta, reddita fuerit. Nam lege sed mihi 3. §. si reddita 1. ff. de commodato habetur si reddita quidem sit res commodata, sed deterior reddita, non videbitur reddita, que deterior facta redditur; nisi quod interest, præstetur. propriè enim dicitur res non reddita que deterior redditur: ergo deteriorationem sua culpâ factam tenetur compensare commodatarius, solvendo expensas in curationem equi à se deteriorati, factas.*

Dico tertio: si absque commodatarij culpâ casu fortuito equus deterioratus fuerit, aut postmodum perierit, ejusmodi

fortuitum casum præstare commodatarius non tenebitur saltem ex jure communi, atque regulariter: ita tradunt Azor, *part. 3. lib. 7. de commodato c. 7. q. 2. Harprecht. ad §. item is 2. Instit. quibus modis re contrahatur obligatio n. 33. Haunold. tom. 4. de Jur. & Just. tract. 10. n. 728. Engel. , König , Schmalzgrueber. Prob. conc. ex lege pignus 9. Cod. depignorat. action. ibi pignus in bonis debitoris permanere, ideoque ipsi perire, in dubium non venit. Idem habetur in lege in Rebus ff. commodati. & lege 1. Cod. de commodato. item lege 1. §. is vero ff. de obl. & act. : ergo commodatarius jure communi, atque regulariter non obligatur ad hunc casum præstandum. Item ex lege contractus 23. fin. ff. de Reg. Juris. ibi animalium casus, mortes, quæque sine culpa accidunt à nullo præstantur. Prob. etiam eadem concl. ex cap. unico de commodato lege. si ut certo 5. §. quod verò 4. eodem. Prob. etiam ratione. juxta legem: quæ fortuitis 6. Cod. de pignorat. action. æquitas non patitur, ut regulariter à contractibus præstentur casus, quorum vis major est, quàm ut ab aliquo prævideatur.*

8 Diximus autem in conclusione, regulariter, & vi juris communis casum fortuitum à commodatario præstandum non esse; ut infinuaremus, eum non fore excusatum, si culpa, ex qua infelix

casus secutus est, præcesserat, ita lege si ut certo 5. §. sed interdum 7. ff. commodati.

Idem tenendum erit, si commodatarius & commodans ab initio ita convenerint, ut periculum hujus certi, & determinati, vel etiam cujuscunque alterius infortunii ab initio in se commodatarius susceperit, vi legis, si ut certo cit. §. nunc videndum 2. lege contractus 23. ff. de Reg. Juris ratio est, quòd contractus ex conventionione legem accipiant, juxta legem: depositum 1. §. si convenit 6. ff. depositi.

Tertiò eandem obligationem subit commodatarius noster Jacobus, si post confectum iter in mora culpabili fuerit restituendi suum equum commodatiti; quia mora sua cuiuslibet est nociva; & qui est causa damni, damnum dedisse censetur, hunc reparare debet: atqui causa damni censetur esse, qui est causa culpabilis moræ, ex qua veluti ex causa secuti fuerunt morbus, deterioratio, vel ipsius equi interitus.

Erit tamen ad casum fortuitum præstandum, etsi iste ob moram in restituendo commodato fuerit subsecutus, commodatarius nequam obligatus, si iste haberit justam causam differendi rei commodatæ restitutionem. Si res commodata etiam restituta, eodem modo, v. g. incendio, apud suum dominum destructa, vel deteriorata fuisset, §. II.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Ex qua culpa ad solvendas expensas obligetur commodatarius Jacobus, si eidem equus in gratiam solius commodantis; aut in hujus & ipsius commodatarij gratiam fuerit concessus?

- 12** Priusquam huic quæsito satisfaciamus; advertimus, equum potuisse Jacobo commodatum fuisse vel in ipsius solius gratiam: vel in gratiam commodantis, aut denique in gratiam utriusque tam commodantis, quam commodatarij.
- 13** Dico 1. Si Jacobo in gratiam solius commodantis equus commodatus fuisset, ad reparandas expensas tenebitur de dolo, & culpa Theologica gravi. Obligationem ex dolo commisso resultare, docent *lex contractus ff. de reg. juris. & lex: si sine ff. de positi juncta Glossa Acursij: & Infit. quibus modis re contrahatur obligatio. §. preterea & is.* Idem etiam ex ratione probatur: quicumque dolo rem commodatam deteriorat, vel omnino destruit, injuriam junctam cum damno commodanti voluntariè infert: sed qui injuriam conjunctam cum damno infert alteri, ad compensandum hoc est jure merito obligatus: ergo &c. ex non absimili ratione probatur, equum ex-
- theologica culpa crassa, seu mortali Jacobi commodatarij destructum, vel deterioratum ab eodem compensandum esse.
- Dico 2. Quod ex culpa quædam minore, levi scilicet, aut levissima illatum equo damnum compensari saltem in conscientia non debeat, si iste in bonum solius commodantis Jacobo concessus fuerit, patet ex textibus supra citatis: nam *Infit. quibus modis contrahatur obligatio, §. preterea & is dicitur depositarium* (qui gratis rem depositam custodit) *teneri solium ex dolo*: ubi sub nomine doli etiam culpa lata continetur. juxta Glossam. ratione conclusionem ita probo. Ad conservationem rei alienæ mihi concessæ in gratiam solius commodantis non teneor majorem diligentiam adhibere, quàm communiter adhiberi solitam in conservandis rebus proprijs: ergo si ego vi eorum, quæ communiter fieri solent, non teneor in proprijs conservandis ad diligentiam exclusivam culpæ levis, aut levissimæ.
- H
vissi-

viſſimæ, nec hanc teneor adhibere in cuſtodiendis rebus alienis, in bonum ſolius commodantis conceſſis: ergo ex culpa levi & leviſſima nemo in talibus caſibus tenetur. ant. Prob. videtur æquitati vel maximè contraria obligatio ad majorem diligentiam adhibendam ad cuſtodendas ejuſmodi res alienas, quàm ad proprias: ergo non tenetur in tali caſu ex culpa levi.

Conſir. in tali caſu Jacobus à dante non accepit aliquod beneficium, ſed potiùs huic aliquod præſtitit? ergo ſufficit, ſi ſola culpa lata præſtetur. Prob. conf. ſi ipſe Jacobus accepiffet beneficium, eò quod ipſi equus in illius ſolius gratiam conceſſus fuiſſet; teneretur juxta multos ex culpa leviſſima: ergo ex hac non tenebitur in præſentibus circumſtantijs. Prob. conf. major, vel minor diligentia eſt adhibenda pro magnitudine, vel parvitate beneficij accepti: ergo ſi commodatarius nullum beneficium accepit, ſed potiùs exhibuit, non poteſt teneri de culpa, de qua tenentur, qui majus beneficium à commodante accepere.

15 Dico 3. Si equus Jacobo tum in ipſius, tum in commodantis gratiam conceſſus fuerit, obligatus ille erat ad majorem diligentiam adhibendam, ac ſi in ſolius commodantis gratiam & non in

ipſius Jacobi commodum commodatus fuiſſet. Fundatur concluſio in *Gloſſa in cap. unicum de commodato V. leviſſima* Item in *lege contractus ff. de Reg. juris & lege ſi diviſa Cod. locati lege in rebus 18. princ. V. at ſi utriusque juncta Gloſſa V. eſtimatio ff. commodati. defenditur concluſio ab Azor. par. 3. l. 7. de commodato c. 7. q. 1. Laym. l. 3. traſt. 4. c. 14. n. 2. Gonzalez in cit. cap. unicum n. 8. Illſung, traſt. 4. diſp. 2. n. 391. Zœſius, Engel Pyrhing, König, Wieſtner, Schmalgrueber. Prob. Ratione, qui rem aliquam in ſui utilitatem accipit, videtur ex naturali æquitate obligatus ad illam valde diligenter cuſtodendam, ne concedens damnum quoddam ex ſuo beneficio incurrat: ergo talis accipiens tenebitur ad majorem curam, quam ſi in ſolius concedentis gratiam accepiffet, ſi ergo re accepta in ſolius commodantis gratiam teneretur ad diligentiam, quam communiter quilibet in ſuis rebus cuſtodendis adhibet, major quædam cura & vigilantia in caſu, quo in utriusque gratiam, & utilitatem res conceſſa fuerat, commodatario erunt adhibendæ, conſequenter tenebitur de culpa levi, ſi per hanc intelligatur omniſio diligentia, quam ſoli accuratiores, ac vigilantiores in cuſtodendis ſuis rebus exercent.*

S. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Ex qua culpa teneatur Jacobus, si in solius ipsius gratiam equi usus huic concessus fuerit?

Hucusque vidimus ex qua culpa teneatur commodatarius, si in solius commodantis, vel in hujus & ipsius commodatarij commodum res gratis concessa ejdem fuerit: cum autem commodatum propriè dictum in solius commodatarij gratiam concedatur, de qua culpa in hoc casu teneatur commodatarius, agendum modò erit.

16 Dico I. Quòd Jacobus noster, & quicumque alius commodatarius, si in sui solius gratiam equum acceptat, ad omnem, & solam illam diligentiam per se teneatur, ad quam communiter commodatarij in his circumstantijs se obligant, & quam communiter exercent. Ita de Lugo *disp. s. de rest. scilicet. s. 9.* dixi in conclusione, quam communiter commodatarij promittunt, & in similibus casibus adhibent: non autem quam communiter alij non commodatarij in suis proprijs rebus custodiendis adhibent. Cum enim supponamus, commodatarios communiter adhibere diligentiam debitam, & promissam; ideo si promissa à commodatarijs

superat vigilantiam, à non commodatarijs in rebus suis custodiendis adhiberi solitam, hæc major diligentia erit communis, & ordinaria respectu commodatariorum.

Probatur nunc conclusio; à nullo potest major diligentia, atque vigilantia exigi, quàm quæ in contractu fuerat promissa, & de qua contrahentes inter se convenerunt: ex altera verò parte meritò præstatur damnum alteri contrahentium eveniens ex omissione diligentie promissæ: ergo Jacobus, & quilibet alius commodatarius ad omnem, & solam illam diligentiam tenetur, quam cum alijs commodatarijs promisit.

Confir. quando quis præstitit omnem operam promissam, & res tamen periit, aut deteriorata fuit; ex casu fortuito censetur illa periisse, aut deteriorata fuisse: ergo, cum casum fortuitum nemo teneatur præstare, ad hujus reparationem non tenebitur, qui omnem operam promissam adhibuit.

Licet autem in hoc omnes con- 17
veniant, superest tamen determi-

H 2 nan-

nandum, quænam sit illa diligentia, ad quam præstandam se communiter in ejusmodi casibus commodatarij obligant. Dicunt enim auctorum aliqui, omnes contra-hentes consentire in obligationem à legibus tali contractui annexam, eò quòd juxta dispositionem jurium velint contrahere: cum igitur leges velint, ut commodatarius, si commodatum, ut ordinariè fit, in solius commodatarij utilitatem vergat, ex culpa levissima teneatur, hoc est, præstare debeat omissionem diligentia, quam exactissimi, & vigilantissimi in custodiendis suis rebus adhibere solent, hinc inferunt talem levissimam culpam, etiam à commodatario nostro Jacobo præstandam, juxta §. 2. *Instit. quibus modis re contrahatur obligatio.* Item legem §. 2. *ff. commodati legem: obligationes 1. §. ille quidem 4. ff. de ob. & act. cap. unicum de commodato:* ibi: *cum gratia sui quis ac commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenebitur.* Idem sentiunt Lessius lib. 2. c. 7. *dub. 2. n. 40.* Rebellus 1. p. lib. 1. *de contract. q. 10.* Azor lib. 6. c. 4. *Reginald. lib. 10. n. 20.* Molina *disp. 295. & 297. Divalt. l. 2. tract. 3. disp. 1. n. 410.*

Uterius cum sciamus, nonnullas leges obligare in conscientia antè, alias autem primùm post sententiam Judicis; nonnullas esse merè poenales; alias autem non; quæstio ulterior movetur,

pro quibus adductæ modo leges sint habendæ? num velint, ut etiam levissima culpa præstetur, licet absque omni culpa Theologica levi, aut gravi fuerit commissa? ad quod dubium

Dico primò, allatas leges Juri positivi nequaquam obligare commodatarium, ut culpam levissimam sine peccato Theologico ex mera inadvertentia, & naturali oblivione commissam præstet. Item quòd ex sola mortali teneatur, docent Sotus lib. 4. *de Just. q. 7. art. 2. Ledesma 2. p. 4. lib. 1. q. 2. art. 2. §. sed dubitas.* Henriquez alios referens *de irregular. cap. 15. Eman. Saa verb. commodatum nom. 3. Lugo loc. cit. P. Pichler de commodato n. 6. Lessius de test. lib. 2. c. 7. n. 43.* nostram sententiam agnoscit probabilem. Prob. conc. leges allatæ non volunt, ut commodatarius in conscientia ante sententiam judicis sit obligatus ad præstandum casum merè fortuitum: ergo neque ad præstandam culpam levissimam non Theologicam, ant. prob. primò negative; secundò: utique nullus judicat, commodatarium vi legis obligatum esse ad præstandum equum sibi commodatum, si sic fulmine ictus absque omni culpa commodatarij perierit: tunc: commodanti sufficienter est à LL. prospectum, si à judice ad præstandam levissimam culpam commodatarius adigatur. Quare leges ad præstandam culpam no-

xalem per famulum, aut domesticos datam obtrinentes, non obligant in conscientia ante sententiam iudicis: ergo neque ista commodatarium in conscientia ante sententiam iudicis obligant. Prob. itaque conseq. primi nostri Enchiridemat: interitus, vel deterioratio rei, equi v. g. commodati, ex omissione diligentiae maxime, sine omni culpa Theologica eveniens, est commodatario prorsus involuntaria, proveniens ex naturali inadvertentia, & oblivione, & hinc illi nequaquam ad culpam impurabilis: ergo, si non datur obligatio ad praestandum casum fortuitum, neque dabitur ad praestandam talem culpam levissimam, non tamen Theologicam. Prob. conf. talis in antecedente isto descripta culpa non Theologica est casus merè fortuitus: ergo si ad casum fortuitum non obligant adductae leges ante sententiam iudicis in conscientia, etiam non obligant ad praestandam culpam non Theologicam. Prob. ant. naturalis inconsiderantia, actualis somnus, aut oblivio naturalis aequè annumerantur casibus fortuitis, ac ipsa acta ab amente aut furioso: ergo cum haec sint actus fortuiti, etiam erunt naturalis inadvertentia, oblivio &c.

Confir. casus fortuiti sunt, qui non possunt ascribi causae cuiusdam liberæ ac creatæ qua tali: sed tales culpa non theologica

sunt tales: ergo sunt casus fortuiti.

Neque dicas, probationem huius nostræ consequentiæ probare nimium; eò quòd ex illa sequeretur, culpam levissimam neque post sententiam iudicis praestandum esse, quia casus fortuitus, cui illa æquiparatur, vel potius idem cum illa esse dicitur, neque post sententiam iudicis praestandus venit. Contra enim est: culpa noxalis per famulum, domesticum, vel per animal data respectu domini etiam habet rationem casus fortuiti, & tamen dominus tenebitur post sententiam iudicis.

Dico secundo probabilius adductæ leges, saltem in quantum usu sunt receptæ neque per se commodatarios obligant ad praestandam culpam levissimam; consequenter isti non erunt obligati ad diligentiam exactissimam, & à solis vigilantissimis, & accuratissimis adhiberi solitam, ita auctores supra n. 17. citati cum Lugo cit. *disp. s. de iust. sect. s. § 9.* prob. nullus commodatarius sibi scrupulum facit, aut anxius dubitat, utrum teneatur commodatum, quod apud se perijt, praestare, quando in eo custodiendo non solum communem diligentiam adhibuit, sed eam insuper, quam accuratiores ac vigilantiores adhibere solent; omisit tamen à vigilantissimis, & accuratissimis adhiberi solitam. er-

go ex communi iudicio commodatarius se non obligat ad præstandam culpam levissimam, conf. constat: nam culpa levissima dicitur talis accuratissimæ diligentie omisso

Confir: qui summam curam adhibent in custodiendo commodato non iudicant se ad istam ex iustitia obligari, sed hæc faciunt ex mera gratitudine propter commodum ex commodata re sibi proveniens.

Prob. secundò nullus unquam commodans commodatarium ad iudicem provocavit, eò quòd hic quidem diligentiam communiter majorem, & à solis vigilantioribus, & accuratioribus adhiberi solitam adhibuerit, omiserit tamen diligentiam ex actissimam, accuratissimam; & ex hac res commodata perierit: ergo commodantes non habent animum obligandi commodatarios suos ad præstandam culpam levissimam.

Prob. tertio: multæ dantur leges, quæ in commodato contentæ sunt diligentiam non exactissimam: ergo non debet dici, quòd hæc vi legum à commodatario exigatur. ant. prob. ex §. item Is 2. V. at is, qui insit. quibus mod. re contrahatur oblig. ibi at is, qui utendum accepit, sane quidem exactam diligentiam custodiendæ rei præstare tenetur: nec sufficit ei, tantam diligentiam adhibuisse quantum suis rebus adhibere solitus est,

si modo alius diligentior poterat eam rem custodire. item Lege si ut certò §. §. custodiam §. ff. commodati habetur: custodiam plane commodate rei, etiam diligentem debet præstare: ergo diligentior rem custodiam, omitendo diligentissimam, non tenetur præstare item in lege custodiam §. ff. de peric. §. commod. rei venditæ Paulus ita respondit: custodiam venditor talem præstare debet quam præstant hi, quibus res commodata est: ergo cum venditor non tenetur ad culpam levissimam, neque tenebitur commodatarius. Uterius etiam in lege si cum venderet. 13. §. venit: 1. ff. de pignor. act. ibi venit autem in hac actione, §. dolus, §. culpa, ubi in commodato: venit §. custodia: vis major non venit. ex hoc ita argumentamur: in ignore culpa levissima non præstatur: ergo nec in commodato, cum hoc inter utrumque instituat paritas.

Neque videntur plane satisfacere ad hos textus dati solius responsis oppositæ sententiæ patroni; licet enim dicant in cit. §. item is 2. V. at is qui: insit quibus modis re contrah. oblig. positivo exactam tribuendam vim superlativi, ut lex ista concilietur cum lege obligationes 1. §. ille quidem 4. §. is verò: ff. de obl. §. action. ubi diligentia exactissima rei custodiendæ præscribitur, non inquam per hoc satisfaciunt: nam inverto argumen-
tum

tum: in hac lege obligationes: de obligat. § adion. superlativo exactissime attribuenda est vis positivi, ut illa concordet cum lege nobis favente §. scilicet item is qui inst. quibus modis re contrah. obligat. cur enim lex hæc posterior potius explicanda, ut conveniat cum lege obligationes, & non ista, ut conveniat cum prior? Contra est secundo: si textus totus citatæ legis obligationes legatur, clarè apparet, quòd terminum diligentie exactissime non acceperit juris consultus in adversariorum sensu, sed in nostro; intelligendo per illam accuratorem communiter adhiberi solitam diligentiam: verba enim ita sonant: alias tamen exactissimam diligentiam custodiendæ rei præstare compellitur: Nec sufficit ei eandem diligentiam adhibere, quam suis NB. rebus adhibet, si alius diligentior custodire poterit. In hoc textu solummodo asseritur, ut commodatarius non teneatur præstare interitum rei sibi commodatæ, non sufficere, quòd in illa conservanda adhibuerit diligentiam in custodiendis suis rebus alias adhiberi solitam; minime tamen ait, neque quamcunque aliam majorem sufficere, sed debere istam necessariò esse maximam: ergo tacitè innuit, debere diligentiam absolutè majorem esse illà, qua quis in suis rebus custodiendis utitur: ergo nomine exactissimæ diligentie in-

tollexit tundaxat absolutè majorem illà, qua suas res aliquis custodit: dein dicit: si alius diligentior. non autem, si alius diligentissimus custodire poterit. Aequè parùm solida videtur responsio dari ab adversarijs solita ad citatam à nobis legem: si ut certo §. §. custodiam §. ff. commodati. Dicunt enim, quòd hujus legis verba habeant: custodiam planè diligentem, quæ idem sonant: ac diligentissimam. Sed contra est, custodia cujusdem rei excedens curam, qua quilibet suas res custodit, est utique custodia planè diligens: ergo hi termini non sunt convertibiles. Ad legem: custodiam §. ff. de pericul. §. commod. rei venditæ: respondent juxta mentem Harprehti ad §. item is 2. inst. quibus modis re contrahatur obligat. legem istam referendam esse ad casum legis immediatè præcedentis hoc ita 2. §. custodiam 12 ff. eodem. ibi autem dicunt, agi de casu, quo emptio, & venditio nondum omnino perfectæ sunt, eò quòd vinum ad mensuram venditum, nondum ad mensuram sit, hoc autem casu venditor etiam culpam levissimam præstare tenetur. Sed contra est, quòd in cit. lege custodiam §. non sit sermo de diligentia exactissima, ex toto sensu illius legis clarissimè constat, ita enim sonat: custodiam autem venditor talem præstare

stare

stare debet, quàm præstant hi, quibus res commodata est: ut diligentiam (NB.) præstet exactiorem, quam in suis rebus adhiberet. His accedit, quòd neque in immediatè præcedente lege: hoc ita verum est 2. §. custodiam dicatur ejusmodi venditorem præstare culpam levissimam; cum solummodo venditor dicatur eam diligentiam venditorem exhibere debere, ut fatale damnum, & vis magna sit excusatum. Hoc autem verificatur, si diligentiam exactiorem communiter adhiberi solitam adhibuerit.

Denique ad citatam à nobis legem: si cum venderet: 13. §. venit ff. de pignorat. action. reponunt, quod *To ut in commodato*, hæc scilicet verba, non sint referenda, ad illa priora *dolus & culpa*: sed ad posteriora: *venit & custodia*: alij respondent, Ulpianum in eo textu agere de commodato, utriusque causa celebrato; quo casu rectè procedere asserunt æquiparationem commodati & pignoris, & utroque casu dolum & latam culpam præstandos esse. ¶ tamen, quòd in dicta lege instituat comparatio inter pignus, & commodatum; & dicatur in utroque præstari tria; dolum, culpam, & custodiam; non secus ac in ipso mandato hæc tria præstantur, vim autem in nullo horum præstari. Ad secundam responsionem dico sine fundamento hæc ab adversarijs excogitata fuisse; cum commodati nomine propriè

intelligatur res gratis in solius commodatarij commodum concessa.

Patet itaque tum ex textibus pro utraque opinione adductis, tum ex responsis ad textus allatis, non ita certum, sed ad summum dubium esse, utrum leges exactissimam diligentiam in commodatario exigant: ergo cum in dubio nemo sit obligandus; insuper melior sit conditio possidentis; jura autem positiva in dubio debeant explicari, ut non recedant à naturali, quod non obligat ad diligentiam maximam: standum erit pro commodatario.

Solvenda modò sunt fundamenta adversariorum: obijciunt igitur nobis *cap. unicum de commodato*: ibi: *cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur*. ¶ cum consuetudo sit optima interpretis legum, & his etiam derogare possit: juxta nostram verò probationem de facto non præstetur levissima culpa à commodatarijs: consequenter *cap. istud* non sit in tanto rigore receptum in conscientia; ideo in strictissimo sensu *To levissima* non erit accipiendum: ¶ secundò legem hanc esse merè pœnalem positam sententiam judicis primam obligatoriam. ¶ tertio: *To levissima* debere accipi respectivè, respectu scilicet diligentie, quam in rebus proprijs curandis tenemus; item respectu depositarij, asse-

afferique, diligentiam, quam præstare debet commodatarius, debere esse majorem, quàm istorum duorum, scilicet depositarij, & patrisfamilias circa res suas custodiendas; jam autem erit major istis, si accuratior, & vigilantior cura adhibeatur à commodatario, quam ab istis: potest autem esse istis major, licet non sit in se maxima.

Dices: si in conscientia commodatarius non tenetur de culpa levissima, neque in foro externo ad hanc præstandam obligari poterit. *¶* neg. conf. cum hoc propter bonum commune statutum fuerit, tum ut omnis fraus, & negligentia circa ejusmodi res impedirentur; tum, ut commodatarij excitarentur ad eam diligentiam, quæ licet non sit ex iustitia, ex virtute tamen gratitudinis videtur adhibenda. Patet hoc in deflorante virginem volentem; in damnis per animal, famulos suos illatis &c.

21 2. Obijciunt legem in *rebus princ. ff. commodati*: ibi: *In rebus commodatis talis diligentia præstanda est, qualem quisque diligentissimus paterfamilias in suis rebus adhibet, ita ut tantum eos casus non præstet, quibus resisti non possit.*

Item legem obligationes 1. *¶* S. ille quidem 4. *¶* V. is vero ff. de oblig. & action. ibi: *is vero, qui utendum accepit, si majore casu, cui humana infirmitas resistere non potest (veluti incendio, ruina, naufragio)*

rem, quam accepit, amiserit; securus est: alias tamen exactissimam diligentiam custodiendæ rei præstare compelliur; nec sufficit ei eandem diligentiam adhibere, quam suis rebus adhibet, si alius diligentior custodire poterit. Ad has duas adductas leges idem reponitur, quod ad cap. unicum de commodato respondimus. Dein jam superius de sensu, quo sumenda sit lex obligationes: egimus.

Ob. 3. Commodatarius censetur se velle obligare commodanti juxta dispositionem, & voluntatem ipsarum legum; ergo cum istæ obligant commodatarium ad præstandam culpam levissimam, erit ille etiam ad hanc obligatus: *¶* dist. conf. erit ad culpam levissimam præstandam obligatus, prout ipsæ leges juxta praxin, & consuetudinem receptam in conscientia obligant: Conc. in alio sensu intellectæ: negatur conf. leges istæ non aliter obligant ad præstandam culpam levissimam, ac obligant leges, quæ volunt præstari damna ab animalibus, mancipijs &c. aut domesticis, illata, scilicet ad summum post sententiam judicis, quod autem non sine fundamento æqualitatem inter istas diversi generis leges instituumus, rationes nostræ conclusio- nis demonstrant.

Dices: nostris rationibus probari nimium; commodatarium neque ex sententia Judicis unquam obligatum fore ad præstandam culpam

I

pam

pam levissimam. Prob. ob culpam levissimam juxta nos, nunquam commodatarius citatur ad judicem: ergo &c. *¶* neg. utrumque antec. diximus enim, commodatarium, si constiterit eundem in custodiendo commo- dato majorem, quàm communem diligentiam adhibuisse, non provocari ad judicem, ut levissimam in tali casu culpam præstet; cum ergo non semper de hac majore custodia constet, ideo tunc ad judicem provocari, & ab hoc ad levissimam culpam præstandam condemnari potest.

Dices 2. Tunc non condem- nandum esse ex culpa levissima, sed levi: ergo adhuc superflue erunt leges: *¶* dist. conf. erunt superflue, si accipiantur in sensu strictissimo, neque ut mitigatæ consuetudine ordinaria: conc. si sumantur ut mitigatæ consuetudi- ne, negatur.

Dices 3. Leges, quæ volunt, ut commodatarius teneatur de le- vi culpa, si commodatum in gra- tiam utriusque & commodantis, & commodatarij concessum fue- rit, obligant in conscientia ante, & non primùm post sententiam judicis, neque sunt merè pœna- les: ergo etiam taliter obligant leges, quæ exigunt diligentiam à solis accuratissimis, & vigilantis- simis adhiberi solitam, si commo- datum in solius commodantis gra- tiam concessum fuerit, & conse- quenter obligatio ad præstandum

interesse non erit pœnalis, sed ex ipso contractu proveniet. *¶* con. ant. neg. conf. disparitatem dant rationes nostræ sententiæ; culpa etenim levis faciliè evitari potest, & in custodiendis rebus alienis major, quàm communiter adhiberi circa propria bona solita diligentia facillimè exerceri po- test; non autem diligentia à so- lis exactissimis adhiberi solita: er- go leges prioris generis sunt in suo rigore acceptatæ, non autem posterioris.

Ob. 4. Juxta nos commoda- tarius ex sola culpa lata obligare- tur: hoc est falsum: ergo & id, unde hoc sequitur. Prob. maj. culpa lata est omisso diligentia, ad quam contrahentes in certo contractu se communiter obliga- tos agnoscunt, & quam commu- niter adhibent: sed omisso hujus majoris diligentia in custodia rei commodatæ juxta nos exhiben- dæ, est omisso diligentia com- muniter à commodantijs exhibe- ri solitæ; ergo omisso hujus ma- joris diligentia (quæ est culpa levis) erit etiam reipsa lata cul- pa. Minor prob. commodatarij juxta nos communiter hanc ma- jorem diligentiam adhibent; cum exhibeant majorem illâ, quam pa- terfamilias in rebus suis commu- niter adhibet: ergo &c. *¶* cum Lugone loco superius citato; dist. maj. commodatarius obliga- retur ex sola culpa lata, quæ sci- licet in contractu commodati sit lata;

lata ; conc. ex sola culpa lata , quæ etiam in alio contractu fit lata , neg. Maj. & sic distincta minore nego conseq. Potest enim eadem diligentia omisio extra contractu esse levis ; & respectu alterius conventionis esse gravis & lata : quod si diligentia respectu certi contractus sit ordinaria , communis , & non major illa , quæ in tali contractu communiter observatur , tunc in tali ejusmodi diligentia omisio erit culpa lata , & omittens istam , licet bene cognoscat ejusmodi diligentiam esse communem , & ordinariam in obligatis ex tali contractu ; culpam latam committet.

25 Ob. 5. Jus positivum attendit bonum commune , rectamque Reipublicæ administrationem spectat : ergo etiam nulla culpa Theologica antecedente potest exigere præstationem culpæ , & reparationem damni alteri facti , quando ita factum est , ut à prudentibus , prudentioribus , aut prudentissimis præcaveri potuerit. Prob. conf. hac obligatione redduntur homines cautiores , ac vigilantiores in custodia rerum sibi commodatarum : *xy. con. ant. dist. conf.* potest exigere talem reparationem dependentem à sententia Judicis primùm faciendam : transf. antecedenter ad hanc sententiam condemnatoriam ; negatur.

26 Ob. 6. Istæ leges , & jura sanciant id , quod naturali æquitati

est consentaneum circa rem alienam (quam medio contractu apud nos habemus) præstare : ergo qui facit talem contractum , ad talem diligentiam se implicite obligat : & consequenter de hac omisio tenebitur commodanti. *xy. 1. re. torq. arg. in Lege Aquilia* , & alijs similibus. *xy. 2.* sufficienter commodantibus prospectum esse , si ante sententiam judicis in conscientia commodatarius teneatur de culpa levi : & post sententiam de levissima. Hinc conc. ant. dist. conf. obligabitur de tali culpa omisio juxta leges , in quantum sunt istæ communiter receptæ : conc. in summo illo rigore neg. conf.

Ut autem melius distinctio inter culpam absolute levem , vel respectivè talem intelligatur ; advertimus , quod culpa respectivè levis sit omisio illius duntaxat diligentia , quam in talibus circumstantijs , in similibus rebus , aut contractibus soli diligentiores , ac magis accurati adhibere solent. Absolute autem tantum , & non respectivè culpa levis , est omisio diligentia , quàm extra istas circumstantias , in alijs rebus , aut contractibus , diligentiores duntaxat adhibent : interim hæc ipsa diligentia in his circumstantijs , in his rebus , aut contractibus communiter adhiberi solet : unde ejusmodi diligentia omisio dicitur respectivè , hoc est respectu istarum circumstantiarum , & rerum culpa lata. In exemplo si aliquis in-

grediatur locum, ubi non est stramen, aut pulvis nitratus, communiter lumen non includitur lucernæ: prout tamen communiter solet includi lucerna, si stabulum fano repletum, aut pulvere

nitrato ingrediamur: quis ergo sine lucerna cum lumine tale stabulum ingreditur, commisit culpam absolute levem, non autem respectivè talem, sed respectivè latam.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum?

An Commodatarius noster Jacobus teneatur aliquid solvere, si dubitet, an sua culpa equus perierit, an deterioratus fuerit?

27 **D**Ubiùm propriè dicitur, si rationibus hinc inde perpensis intellectus nequeat etiam iudicium probabile efformare, sed anceps hæreat. Subinde etiam aliquis reflexè iudicat, sibi incertum esse, an res quædam sit, vel non.

Insuper potest Jacobus noster duplex habere dubium: unum, an posuerit aliquam actionem illicitam, & de se aptam ad damnificandum equum: secundo potest de hoc nequaquam dubitare, sed iudicare, à se positam actionem, & quidem illicitè ex se damnificativam equi; anxius tamen & dubius potest esse, utrum hæc sua illicita actio in actu secundo hoc damnum commodato equo intulerit. His præmissis

28 Dico primò, si Jacobus nos-
ter præsupposita actione injusta,

& de se apta causare damnum equo, dubitet, num ex illa mors, vel morbus equi commodati fecuti fuerint, probabilius ad compensationem expensarum, vel ipsius equi, si hic occuberit, tenebitur. Ita apud Dianam in *suis resolutionibus moralibus, part. 3. tract. 6. miscell. resolut. 49.* Gallus in *Margar. casuum conscient. verbo. commodatum: §. verbo dubium.* Idem tenet Sanchez de *Matrim. lib. 2. disp. 41. n. 17.* citans pro se alios: quibus accedit in substantia Palao de *consc. dubia disp. 2. pu. 4. n. 3.* citans Joan. Sanchez *disp. 42. n. 14. salas 1. 2. tract. 8. disp. unica sect. 23. n. 142. sine. prob.* quando præsupposita injusta actio de se est apta causare hoc damnum, dubitatur autem, num in hoc singulari casu causaverit actu, tunc ipsa hæc actio inju-

injusta & ex se damnificativa est in possessione contra commodatarium Jacobum; eò quòd constet, effectum fuisse subsecutum: ergo in hoc dubio melior est conditio actionis in sua possessione existentis, non autem ipsius Jacobi: consequenter onus probandi transfertur in Jacobum, qui ut se deobligatum agnoscat, efficacibus, & certis rationibus probare debet, morbum, vel mortem equi hinc, & nunc non fuisse causatam à sua injusta, & per se tale malum causante actione: atqui quando dubitat Jacobus; non habet pro se tales certas rationes: ergo non erit excusatus à restitutione damni illati. **Confir.** Juxta Baldum in *lege data opera n. 52. Cod. qui accusari non possunt Anaxiam in cap. ad audientiam n. 10. de homicidio, Angel. l. 1. in princip. vers. ultimo, est videre ff. de eo, per quem factum erit.* quando constat de actione injusta, quæ apta est causare damnum: item quando etiam constat de damno dato, auctori actionis hujus incumbit onus probandi, non causasse damnum: ergo dum hoc non probatur, necessariò talis judicandus est causasse.

29 Quid nostro Jacobo præstandum, si actionem injustam, de se causativam damni subsecuti, posuerit; dubitet autem, num illa hujus causa fuerit, hucusque examinavimus: superest altera

controversia, num scilicet ad aliquam refusionem in conscientia sit obligandus, si dubitet, num omitendo necessariam diligentiam, culpam quandam commiserit, aut actionem de se damnificativam posuerit.

Potest autem dubium esse positivum, vel negativum juxta la Croyx *lib. 6. pa. 2. n. 599.* negativum habetur, si in utramque partem aliqua motiva dantur, non quidem levia, de se tamen nec sufficientia ad prudens judicium de alterutra parte formandum, ex quo provenit, ut ipsum prudens judicium necessariò sit suspendendum; quod si pro utraque parte gravia motiva habeantur, non se elidentia sed de se sufficientia, ut vi illorum pro hac, vel opposita parte formetur prudens judicium, aut saltem, ut reflexè judicare possit in utramque partem militare gravis momenti rationem, habebitur tunc dubium positivum.

Insistendo itaque nostris principijs, quòd scilicet commodatarius scienter committens culpam absolutè levem in custodiendo commodato, hoc ipso committat latam, eò quòd committat diligentiam quam ordinariè & communiter omnes commodatarii adhibent: item quòd de culpa levissima non teneatur, si hæc non fuerit Theologica.

Dico I In dubio merè negativò primùm descripto commo-

modatarium nostrum Jacobum ad nullam compensationem faciendam in conscientia obligatum esse, ita Henriquez lib. 14. c. 15. in fine. Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 41. n. 18. Lessius lib. 2. cap. 27. dub. 3. in fine. Diana parte 3. tract. 6. Missell. Resol. 49. Salas tract. 8. disp. unica sect. 23. n. 243. Palao tom. 1. disp. 3. pu. 4. n. 4. Villalabas, Lugo de Just. disp. 18. sect. 1. n. 14.

Prob. conclus. ratione, ut commodatarius teneatur de culpa, debet hæc esse Theologica: ergo, quando dubium tale negativum datur, ad nihil tenetur. prob. conf. in dubio nullum delictum est præsumendum, juxta *legem merito ff. pro socio & commodatarius est in possessione suæ innocentia: ergo si ex culpa Theologica solum tenetur commodatarius, ad nihil tenebitur, si de culpa dubium negativum habeatur.*

31 Dico 2. Probabilis etiam in dubio positivo, si hoc in utramque partem sit æquale, non obligandus in conscientia erit commodatarius Jacobus ad restitutionem faciendam: ita prædicti authores, nullam facientes inter dubium positivum, & negativum distinctionem. Concl. prob. in tali casu ponitur adesse sufficiens motivum, ut Jacobus formare possit prudens judicium, quod nullam culpam Theologicam commiserit: sed qui potest hoc

prudenter judicare, non tenetur ex delicto ad aliquam restitutionem faciendam: ergo &c. Confir. quia delicta in dubio non sunt præsumenda, ideo etiam stante dubio negativo, cum nullum prudens judicium formari potest de commisso, non datur ulla obligatio restituendi: ergo hæc multò minus dabitur, si prudens judicium formari possit, quod delictum non fuerit commissum. Monet tamen non imprudenter Cardin. de lugo juxta citatos authores, hæc solum procedere in dubio, quando pro altera parte nullæ adsint conjecturæ, aut indicia, quæ delicti præsumptionem meritò generare possint.

Neque obstat, quod in dubio positivo ob rationes in utramque partem æquales videantur adesse ex altera parte conjecturæ, atque rationes quædam, oppositum reddentes probabile: ob hoc enim quod commodatarius Jacobus non obligari ad ullam restitutionem possit, probavimus in partis hujus primæ casu 2. de restitut. rerum inventarum n. 24.

Ut itaque ex his universalibus principijs, quid nostro Jacobo sit faciendum, concludamus, adverto, ipsum commodantem facti, equum suum jam antea quadam infirmitate, atque defectu laborasse. Videndum itaque erit, num de hoc defectu Jacobus, dum huic equum ad usum con-

concederet, certiore fecerit, admonerit insuper, ut moderate, & sub certis cautelis equo utens à concitatione, præsertim longius durante cursu abstineret; quod si de his admonitus Jacobus, citato, & effuso cursu toto die tum in itu, tum in reditu equitaverit; vel equus tempore, quo huic non expediverat, potatus fuerit, aliâve curam ex jussu commodantis adhibendam omiserit, ipsius culpâ equum perijisse, nostro judicio probabilissimum videtur: Quia autem equus juxta dicta ponitur jam antea defectum habuisse, controversia est, an totum valorem destructi equi refundere debeat, vel partem duntaxat aliquam? Etsi quandam duntaxat partem, quanta hæc debeat esse? ego judico, ante omnia inquirendum esse, qualis & quantus defectus, quo equus jam antea laboraverat, fuerit: num hoc non obstante labores suos ordinarios suo vel alteri cuidam domino præstare potuisset; & quanto tempore? Num ille adhuc quodam viliore, & quanto pretio alteri vendi sine dolo potuisset, ex his enim, & similibus circumstantijs equi valor, & quod ex hujus interitu damnum domino accreverit, determinandum, atque ex judicio prudentis & conscientiosus arbitri dicendum, quid & quantum domino à commodatario Jacobo sit refundendum.

Quodsi autem defectus, quo equus laboraverat, nostro Jacobo intimatus à commodante non fuisset, examinandum utrùm actio damnosa ex se apta fuerit, ut etiam integræ sanitatis equum destrueret, hoc enim in casu etiam à non admonito, quod admonitus debuisset, præstandum esset. Si denique ponamus culpam à Jacobo, defectus, quo equus commodatus laboraverat, inscio, positam equo integræ sanitatis nequaquam noxiam extitutam, nocuisse autem ejusmodi defectum habenti, ad nullam restitutionem eundem obligatum agnoscerem; cum culpa de se non sit connexa, & illativa damni in equo sano & integro, sed tantum per accidens huic soli jam antea ægro nocuerit, qui effectus utpote non prævisus videtur Jacobo involuntarius, & hinc non imputandus.

Examinatis itaque, ac mature perpensis istis omnibus, si dubium fuerit, utrùm culpa quædam Theologica à commodatario Jacobo commissa sit, juxta nostra principia ad nihil tenebitur, juxta Azorium tamen *tom. 3. l. 7. de commodat. c. 7.* Molin, Rebellum, Caietanum Gomezium compensatio Equi domino facienda erit; eò quod authores isti existimant, in hoc casu ad obligationem restitutionis sufficere culpam juridicam, quæ non semper cum Theologica conjuncta est.

CA.